


Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849,
enthaltend fol. 74a–231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.

378



376

382

me, ut venirem; erat enim unus de illis sacerdotibus, quos nominant Glagolas, qui solum sciunt Sclavonicas litteras et selavonice legunt Missas et non ordinantur nisi Romae. Dicuntur autem Glagolae vel Glabolae vel Glabri a Graecis pro eo, quod sunt sine barbis, sicut sacerdotes latini, glabrus enim graece imberbis dicitur (**200a**) latine. Graeci autem sacerdotes sunt omnes ad modum Nazaraeorum comati et barbati, similiter et Latini inter eos habitantes. Dicunt autem, quod S. Jeronymus Dalmatis nationi suae propinquis quasdam litteras a latinis graecisque diversas adinvenit, composuit et eis tradidit, quae postea selavoniae appellatae sunt. Quod autem beatus Hieronymus in vernacula lingua divinum officium et sacram scripturam transtulerit, patet in epistola de locis et nominibus hebraicarum quaestionum, ubi dicit: studii nostri est, de libris Ebraeorum errores refellere, etymologias quoque nominum atque regionum vernacula lingua explanare. Et iterum in epistola ad Sophronium: antiquorum, inquit, translationem diligentissime emendatam olim meae linguae hominibus tradidi. Pannonia enim adhaeret Dalmatiae, in qua oppidum sancti Hieronymi fuit, dictum Sidrona vel Stridon, dudum penitus destructum a Gothis. A nullo autem in divinis differunt a Latinis, nisi in lingua: legunt sicut nos; cantant et mores habent per omnia, sicut nos. His ergo peractis redii in classem ad navem meam.

Finit decimus tractatus.

372

387

367

427

327

477

277

Ende

Anfang